INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXIII.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT „SIXTI IV. SUMMI PONTIFICIS AD PAULUM III. OPTIMUM PONTIFICEM MAXIMUM COMPOSITIONUM DEFENSIO“, QUAM EDIDIT **PROF. DR. FRANCISCUS DITTRICH**.

BRUNSBERGAE, 1883.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D<u>R.</u> FRANCISCUS DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

In collectione documentorum historiam ecclesiasticam et profanam horum sex saeculorum illustrantium Doellingeri aliorumque opera edita[1] prodiit nuperrime opusculum, quod in codice Vaticano inscriptum est: „Progetto di riforma ecclesiastica disciplinare, forse fatto dal Cardinale Giampietro Caraffa, poi Paolo IV., a nome di una speciale commissione ad instanza del pontifice Adriano VI.“ Recte editores observaverunt, pro nomine Adriani substituendum esse Paulum III., cum hunc tractatum initio pontificatus Pauli III. confectum esse manifestum sit eandemque fere in eo spirare mentem ac in „Consilio delectorum Cardinalium de emendanda ecclesia“.[2]

Fugit latuitque viros illos doctissimos, idem documentum iam integro anno ante a me publici iuris factum esse sub titulo: „Consilium quatuor delectorum a Paulo III. super reformatione S. Romanae Ecclesiae“[3], cui Contarenus et Caraffa Cardinales, Hieronymus Aleander, archiepiscopus Brundusinus, Thomas Badia, Magister S. Palatii, subscripserunt. Atque hoc quidem consilium vel mense Iulii a. 1537 vel paulo post Summo Pontifici oblatum fuisse, multa sunt, quae mihi suadeant. Primum enim Contarenus Cardinalis in litteris die 12. Maii a. 1537 ad Reginaldum Polum datis: „Pontifex“, inquit, „aggressus est reformationis negotium: coepit a se ipso[4] elegitque quatuor Cardinales: Simonetam, Ginuccium, Theatinum et me, quibus iniunxit, ut diligenter videamus et corrigamus ea, quae expediri consueverunt per Datarium“.[5] „Quatuor horum instrumentorum“ etiam Gregorius Cortesius abbas in litteris die 23. eiusdem mensis et anni ad Contarenum scriptis mentionem facit.[6] Die vero 23. Iulii ipse Cardinalis Isidoro Clario, monacho Mutinensi, quem sciebat vehementer cupere his de rebus certiorem fieri, haec significavit: „Reformatio, quam institueramus, aliquamdiu retardata est tum ob Turcarum motus, tum ob nostram inertiam. Nos etenim, quibus Pontifex id munus commiserat, fuimus aliquanto segniores in obeundo. Pontifex tamen adeo nos excitat, ut omnino sperem parituram tandem hanc nostram congregationem foetum, quem iam diu parturit“.[7]

---

[1] Beiträge zur politischen, kirchlichen und Culturgeschichte der sechs letzten Jahrhunderte. Herausgegeben unter der Leitung von Ioh. Ios. Ign. Doellinger. Wien 1882. Bd. III, 208—219.

[2] Hoc consilium vel anno 1536 exeunte vel a. 1537 ineunte compositum esse facile hinc sequitur, quod et Reginaldi Poli et Giberti, qui sub finem mensis Ianuarii a. 1537 sese ad iter in Galliam suscipiendum accinxerunt et primis Februarii diebus Roma profecti sunt, nomina in libelli subscriptione insignita apparent. Cfr. Morandi, Monumenti di varia letteratura (Bologna 1797) I, 21 p. 26, not. 34 — Atque hoc dictum sit contra de Druffel, qui, ubi mei de vita gestisque Contareni Cardinalis libri censuram agit (Goettingische gelehrte Anzeigen. 1882, Stück 33, 34), consilium Cardinalium ad tempus posterius referre non dubitat. [3] Regesten und Briefe des Cardinals Gasparo Contarini (Braunsberg 1881), p. 279—288.

[4] Quae verba si contuleris cum iis, quae legimus in „Consilio quatuor delectorum“ (Regesten p. 279): „Ut omnibus posthabitis nec tui nec tuorum habita ratione aggressus fueris ecclesiae Christi reformationem ac ut vere imiteris Christum Dominum, cuius vicem geris, qui coepit facere ac postea docere, aggressus es a rebus tuis“, non ambiges mecum iudicare, ea referenda esse ad „Consilium quatuor delectorum“ ac proinde errare de Druffel asserentem (l. c.), Contareni ad Isidorum epistolam eandem rem attingentem agere de „Consilio de emendanda ecclesia“.

[5] Regesten, p. 98. [6] l. c. p. 99. [7] l. c. 102. 278.

Certo igitur certius est, inde a mense Maio a. 1537 quatuor Cardinales delectos a Paulo III. reformationis negotio operam dedisse et mense Iulii ita rem promovisse, ut sperarent, „parituram tandem congregationem foetum.“ Quibus de causis non errabit, qui hoc fere tempore „Consilium quatuor delectorum“ in lucem venisse iudicaverit.[8]

Quod vero consilio non quatuor illi deputati, sed ex his duo tantum simul cum Aleandro et Thoma Badia subscripserunt, in causa esse videntur variae opiniones dissensionesque de compositionum natura atque indole morali. In rebus enim aliis viri delecti convenerunt, in aliis non convenerunt.[9] Nonnulli ex illis „viri illustres et perquam docti“ senserunt, quamvis neque res spiritualis neque usus spiritualis posset vendi aut emi, seu pro temporali re commutari sine vitio simoniae, alia tamen ratione iure posse ex illis pecuniam comparari, dummodo non ut pretium, sed ut stipendium debitum acciperetur:[10] nonnulli e contra „hunc modum non esse honestum continereque deformitatem repugnantem rationi naturali et verbis Christi in Evangelio, deformitatem scilicet simoniacam“ indicarunt.[11] Cumque dissentientes convenire inter se non possent, factum esse videtur, ut ex quatuor illis Cardinalibus duo, Contarenus et Caraffa, severiori disciplinae faventes suum componerent consilium eique una cum Aleandro et Badia forsan consultoribus congregationi adiunctis subscriberent, ceteri vero, Ginuccius scilicet et Simoneta, aliud consilium litteris mandarent et ad Pontificem transmitterent. Et revera exstat in tabulariis bibliothecae S. Marci tale consilium seu memoriale, quod ad refutandum Contareni Caraffaeque opusculum defendendumque compositionum usum scriptum esse cuivis vel obiter legenti tam facile patebit, ut rationes ad confirmandam hanc nostram sententiam hinc inde colligere atque afferre supersedere possimus. Ut unum tantum attingamus, libelli huius auctores nonnunquam „illustrissimorum pariterque doctissimorum dominorum“ compositiones ceu simoniacas detestantium mentionem faciunt eosque duos fuisse ipsi affirmant.[12] Quoniam autem Contarenus et qui priori consilio nomen suum notarunt compositionum usum a Sixti temporibus coepisse significaverant, qui diversae erant opinionis, nihil melius faciendum sibi putarunt, quam ut ipsum Sixtum Pontificem sese defendentem inducerent libelloque suo titulum inscriberent: „Sixti IV. Summi Pontificis ad Paulum III. Optimum Pontificem Maximum compositionum defensio“.

Quae cum et ipsa sub finem a. 1537 exarata sit, ut patet ex verbis: „Sanctus Paulus III ..... annis tribus integris simoniae facinus palam commisit“, confirmantur magisque comprobantur, quae supra de tempore, quo Contareni consilium scriptum fuerit, diximus.

Prodeat nunc primum in medium haec Sixti IV. compositionum defensio, cum quaestioni tum multum agitatae,[13] utrum compositiones sint licitae, an simoniae labe laborent, lucem aliquam afferat.

Res ardua atque difficilis. Codex enim Venetianus tot tantisque mendis scriptoris alicuius negligentia et ignorantia illatis scatet, ut omnes locos mendosos arte critica sanare textumque ad genuinam formam ac rationem redigere me posse desperarem. Nihilominus id mihi assecutus esse videor, ut, qui fuerit scriptorum sensus, legentibus futurum sit clarum atque apertum.

---

[8] Quae cum ita sint, nescio, quo iure de Druffel (l. c) potuerit contendere, sine causa ac ratione hunc me terminum statuisse.

[9] Regesten, p. 280. 281. [10] l. c. p. 281. [11] l. c. p. 283. [12] Cfr. infra pag. 1.

[13] In Cod. Ottob. 2416 (I, fol. 16 sq.) „Consilium quatuor delectorum“ subsequuntur „quatuor scripturae doctorum circa supra dictam reformationem,“ quae respondent ad quaestionem: „An Praelatus pro usu spiritualis potestatis, ad quem ex officio tenetur, possit absque simoniae vitio a sponte dantibus sive ab invitis per expressam petitionem seu per spiritualium subtractionem de bonis ecclesiae vel de aliis bonis undequaque provenientibus temporale aliquid accipere vel exigere.“ Primae responsioni subscripsit „Frater Clemens Generalis Arae Coeli“, alteri „Franciscus de Salazar, Hispanus Poenitentiarius“. Exstant quatuor hae scripturae etiam in Cod. XXXIII, 50 bibliothecae Barberinae.

Sixti IV. Summi Pontificis ad Paulum III. Optimum Pontificem Maximum compositionum defensio.

Cum multa, Paule optime, pro Christianae reipublicae salute et ornamento a te fuerint cogitata prudenter atque divinitus instituta, tum praesertim illud praeclarissimum, ut [ne] quid in gratiarum concessione deinceps fieret, quod Sedis Apostolicae dignitatem Christianamve laederet pietatem. Quod enim in aliis optaras olim, id in apostolatus apice piis aggressus affectibus procul dubio consequeris. Christus enim, qui in te velle operatus est optimum, dabit et coeptis pergere, eaque denique perficere cumulatissime. Qui namque fieri potest, ut, qui via, veritas est et vita, cuius vices tanto animi candore pietateque geris in terris, te non comitetur, tuos non dirigat actus, teque ceu ducem demissum coelitus non doceat, instruat, regat, foveat et tueatur? Fulgebant etenim ex supereminentissima veritate, quae Deus est, splendidissimi radii supra mentis tuae purissimae penetralia, quibus illam certo agnosces certius, fovebis agnitam ac illustrabis, nec te perturbet, obsecro, varia quorundam opinio, nodi ancipites rationesque hinc inde pugnantes. Nam quorum sunt sententiae diversae, finis est amicissime concors sanctitati: Apostolicae Sedis decus, ecclesiae salus, Christianae familiae reformatio, tuique denique honos atque gloria sempiterna, idque fiet perspectius, si, quorsum tendant, paulo attentius inspexeris. Qui namque compositiones ceu simoniacas detestantur, nihil optant ardentius, quam ecclesiam in veterem candorem dignitatemque pristinam vindicare eamque veluti sponsam descendentem de coelo a Deo paratam piissimis tuis implicitam amplexibus intueri. Sciunt etenim praeclara illa ingenia puraeque mentes, Christi ecclesiam non armorum defendi turbinibus, non auro gemmisve attolli, nec denique divitiis, libidinum incantatricibus exornari, sed fide, pietate, integritate, vitae doctrinaeque splendore dilatari et illustrari. Nam quibus artibus Pontificibus est partum imperium, iisdem et servatur et exaltatur. Verum qui eas a bonis principiis ortas sancteque institutas asserunt submovendos esse abusus, qui parum quibusdam advertentibus Pontificibus irrepsere. Horrent etenim contra tot summos Pontifices, Cardinales, Episcopos, consiliarios ceterosque innumeros viros celeberrimos praecipitare sententiam, simoniacam inurere notam. Horrent, Lutheranis, qui tam impia et absona Romanae curiae obiecerunt, iniustae laetitiae causas subministrare. Verentur, ne Christi fidelibus offendiculi praebeant ansam, detestantur denique, Romanam ecclesiam tamdiu nefario hoc scelere fuisse deturpatam, quae ceu coniux Christi carissima a spiritu sancto dirigitur et gubernatur. At cum eas a simoniaca labe, si recte fiant, esse mirifice alienas agnoscant, putarunt ecclesiae consultum optime, si illam a tanto scelere liberarent, denique cum nihil vehementius optent quam ecclesiae decus et incrementum, id temperatis fieri modis perficique prudenter hortantur. Sciunt namque duo illi illustrissimi pariterque doctissimi domini[1], nedum naturam repentinas pati non posse mutationes, verum nec artem. Qui enim, obsecro, fiet, ut labefactati, ne dicam perditissimi tamdiu mores [in] nascentis ecclesiae puritatem repente vertantur? Noscunt insuper, aliis nascentem indigere puellam, infantem aliis, diversis nubilem variisque grandaevam, coniectaque hominum pravitate et temporum diversa consulunt pro ratione temporum esse remedia adhibenda.

---

[1] Contarenus et Caraffa.

Liquet igitur, Paule Optime Maxime, finem esse omnibus [unum], etsi diversis gradiantur semitis. Verum ut res tibi fiat perspectior, haec ex ordine pandam. Primo equidem, in quibus conveniunt, enarrabo, secundo, in quibus differunt, tertio alterius opinionis fundamenta, quarto defensionis meae causam solidamque veritatem adducam, quinto absurda, quae ex altera nascuntur opinione, demum quid hac tempestate res poscat agendum. Te vero per immortalem obtestor Deum, attendas, obsecro, non poenitebit, spero, senem, religiosum, Theologum, Pontificem, denique coelicolam audivisse paululum de huiuscemodi disserentem.

Tria compositionum esse genera, Paule optime, non ignoras. Alterum, quod Pontifices veluti terrenarum rerum domini facere consueverunt, alterum autem, quod potestatem coelitus datam exercuere, idque [in] duo distinctum scis. Unum enim in delictorum poenam, ut puta si quis violentas in sacerdotem manus iniecerit, si simoniae crimen commiserit, vel si infidelibus arma praestiterit, et reliquum postremo, ubi nulla est noxa, nullum facinus, nulla denique culpa, ut si quis beneficium resignavit servatis fructibus regressuque simul. Prima duo iuste licere ambigit nemo, et in tertio conveniunt partim partimque declinant.[2] Cum etenim pascenti gregem et lac et lana ab ovibus debeatur, militanti stipendium, operario merces, auctore Paulo prima ad Corinthios, quin immo ipsa natura, te vero dominici pastorem gregis, Christiani ducem exercitus et principem, in vinea Domini operarium [esse] eadem sententia plane fateantur, consonum est disseminatis spiritualibus temporalia tibi ceterisque Pontificibus naturae divinoque iure deberi. Quae si vultu laeto animoque lubenti impartientur Christicolae, bene erit cum illis beneque cum ecclesia actum, verum si non paupertatis praetextu, sed avaritiae fomite vel ingratitudinis vitio, vel quapiam alia iniusta via debita stipendia aut subsidia denegarint, eos te ad dandum compellere cogereque posse confitentur unanimes. Sed quinam prudens iustusque cogendi sit modus, hoc opus, hic labor est, hinc sententiae variae rationesque diversae atque pugnantia fundamenta. Nam qui modum hactenus observatum, litterarum scilicet retentionem, ceu simoniacum execrantur, alium quaerendum modum naturae rationique conformem [volunt], ut hi scilicet vel superioris auctoritate cogantur vel anathematis gladio feriantur, qui debita stipendia aut subsidia denegarint. Sed quomodo sua studeant fundamenta rationesque corroborare,[3] operae pretium est videre. Attende, quaeso.

Etsi illustres et doctissimi viri exhibitis spiritualibus ad dandum temporalia cogendi Christicolas tibi tribuant facultatem, vituperant tamen subscriptam gratiam a Datario retineri; cum enim propterea retineatur, ut det danti pecunias, ac deneget dare negantibus, quis dubitat, actus huiusmodi simoniacos et naturae rationique contrarios esse? Idque fundamentis aliquibus firmis subtiliter suadere conantur et primo, omni Pontifici incumbere ex officio servare, tueri ac pascere dominicum gregem. Nam asserente Petro, [se] non modo diligere Servatorem, verum vehementer amare, dictum est ei: Pasce oves meas, pasce agnos meos. Boni vero pastoris est, pro ovium suarum salute vel vitam ipsam profundere, quod cum a Paulo in Pontificis persona dictum accepimus: Sapientibus et insipientibus debitor sum, tum etiam maxime in litterarum suarum frontispicio se sacrum servum servorum Dei piissime confitetur. Addunt praeterea et quidem doctissime, bonum ex integra causa constare, malum autem ex una tantum, quam ob rem licet aliquis finem sibi praestituat optimum, ut puta captivorum redemptionem, si actum tamen elegerit ex sui natura deformem, ut est in exemplo furari vel foenerari, non propterea talis actus ex huiusmodi fine erit a malitia depurgatus; impium est enim facere mala, ut bona eveniant.

---

[2] Ita legendum esse coniicimus, Cod. exhibet lectionem penitus corruptam.

[3] Lege „Consilium quatuor delectorum". Regesten p. 282 sq.

His praelibatis suum sic armant Achillem: quomodocunque est alicuius rei spiritualis in temporalem commutatio, actus est ex sui natura detestabilis et simoniacus, sed ita fit, ut subscriptae gratiae fidelibus retineantur.[4] Dat enim Datarius largienti pecunias, nolenti denegat, nec donaret, nisi esset pecuniam accepturus, nec contra darentur pecuniae, nisi esset supplex signatam gratiam habiturus. In praxi autem huiusmodi commutationem esse, quis sani capitis deneget? Profecto nemo. Verum si quispiam dixerit, actum huiusmodi provide non esse facinorosum, quia pecuniae non tamquam pretium, sed veluti stipendium exiguntur, id dictum esse subtiliter asserunt, sed sibi constare minime: non enim propterea fiet, quin actus ex sui natura deformis fiat a simoniaco scelere alienus, quod exemplo declarant. Nam si quis alterius coniugem ratione, quia pulchra est, adamaret, quia vero illius uxor, detestaretur, non propterea actus huiusmodi posset a malitia excusari. Si vero diceret alius, Datarium non subscriptam gratiam, quae iam facta est, sed litteras, quae confectae sunt testimonium, in temporales pecunias commutare, arguunt aeque id simoniacum esse, ac si spiritualis gratia commutaretur. Sunt etenim litterae huiusmodi veritatis testes adeo spirituali annexae gratiae, ut ipsas spirituales negare videatur absurdum. Verum si quis commutationem rei annexae spirituali in temporale simoniacum non esse dixerit, hunc cum Paschali [in decretis C.][5] prima, quaestione tertia, can. VII: Si quis obiecerit, desipere arbitrantur. Arguunt praeterea dictum illud de stipendio: Ubi stipendium exigitur, attenditur proportio stipendii debiti ad labores[6], in casu vero non ad stipendium habetur ratio, cum enim plurimi persolvere stipendia [non] teneantur, a quibus exigitur nihil, vel qui integras non persolvunt decimas, nec Pontificis pro obtinendis gratiis limina calcant, multi vero integras persolventes decimas, ut in Galliarum et Hispaniarum partibus, dispensationes gratiasque obtinere cupientes non solutis pecuniis minime consequuntur. Attenditur autem proportio gratiae; quibus etenim gratia conceditur maior, amplior ab iisdem exigitur copia pecuniarum. Addunt tertio[7], actum eiusmodi Evangelio repugnare; cum etenim sit gratis habitus, gratis est dandus, ut Salvator inquit: Gratis accepistis, gratis date; repetunt autem, Salvatorem dixisse, gratis dandum, non autem intendendum gratis dare. Quoad eam partem vero, quae Pontificis est, sic arguunt, non licere, cum enim sibi ex officio incumbat gregem pascere, non poterit pro quavis spirituali gratia quicquam capere, ut inquit divus Thomas 2. 2. quaest. 100, articulo tertio in responsione ad tertium, quin immo vae sibi, nisi Christi fidelibus inservierit, si non evangelizaverit, si denique non paverit, ut in simili de se refert Paulus prima ad Corinthios 9: Si enim evangelizavero, necessitas mihi incumbit, vae autem mihi, si non evangelizavero. Addunt secundo, si Pontifex pro aliquo spirituali munus acciperet, committeret simoniam, sicut et alius homo, ut inquit divus Thomas quarto sententiarum dist. 25, quaestione tertia, articulo tertio in responsione ad 2m: igitur a fortiori vel saltem a simili, si pro spirituali gratia pecuniam capiat; turpius enim est vel saltem aeque turpe, pro re spirituali sibi pecuniam vindicare. Tertio, si, quod absit, Papa spiritualia pro rebus temporalibus ecclesiarum daret, simonia non excusaretur, igitur a fortiori vel saltem a simili, si pro pecunia vel aliis rebus saeculi spiritualia largiretur. Quarto non est dubium, quod simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut, quod suum est, recuperaret, ut praefatus ait doctor ubi supra; igitur a fortiori, si spirituale, ut, quod est alterius, acquiratur, cuiusmodi in compositionibus passim ac propalam fieri solet.

Haec sunt, Paule prudentissime, quibus celeberrimi pariterque et peritissimi [viri] opinionem suam firmant, fulciunt meque tanti auctorem sceleris criminantur. Verum cum nihil sit immanius,

---

[4] Cod.: tribuantur. [5] Cfr. „Consilium“ l. c. pag. 284. [6] In „Consilio“ dictum illud hoc est: „Id quod exigitur, pro stipendio exigitur secundum proportionem stipendii debiti, non secundum proportionem gratiae, [quae fit“. Regesten p. 286. [7] Cfr. „Consilium“ l. c. p. 285. 283.

quam neglecta fama veritatem nolle tueri, his mecum e coelo deductis eam defensurus accessi, nec mireris, obsecro, si hodie religiosum, senem, Theologum, Pontificem ac denique coelicolam senseris impendio succensentem. Nam etsi catholicae ecclesiae Pontificibus plurima quidem obiicere scelera non dubitarunt, nullo tamen graviori foediorive, quam haereseos crimine . . . . .[8] Quis etenim vel vir sanctissimus non est concitatus ad iram, cum tali senserit se vulnere sauciari ac cum simoniaca labe deformes et haereticae, immo et haereticis deteriores sanctorum sententiae censeantur? Aequum te mihi praebebis iudicem, si zelo commotus quaedam concitatius dixerim, quam aetas, professio, dignitas statusve exposcat, et ne te diu obtundam taedio, quibusdam altius repetitis rem perfecturus exordiar. Audi, obsecro.

Vix pullulant, optime Paule, Christianae fidei germina, cum Christi fideles ad beatorum pedes Pontificum pro consequendis gratiis commearunt, quibus acceptis ingentem terrenarum copiam rerum affluenti liberalitate donabant. Nam si hominibus est a natura tributum, ut his innumeras impendant gratias, a quibus temporalia perceperunt, quanto id credimus insertum firmius, cum copiosos spiritualium rerum thesauros longe fuerint assecuti, praesertim cum viva fides charitate comite tepentium corda hominum inflammaret. Quam ob rem nulla praeeunte expostulatione tot ultro profundebantur ab illis, ut thesauri ecclesiae omnium admiratione crescerent in immensum. Verum successu temporum crevit hominum malitia, refriguit charitas desiereque sanctorum miracula patrum, quibus homines ad ditandam trahebantur ecclesiam, effectumque est propterea, ut plerique paupertatis praetextu habitis gratiis pro stipendio genuflexiones proque subsidio verba redderent gratiosa. Quocirca erant supplices et mendaces et iustitiae rei, quin et videntes ministri thesauri ecclesiae mendicitatem, nec ulla ex impensis laboribus aeris [se] adstringi mercede, vix per annum Summo Pontifici diplomata praesentabant.

Implebant proinde clamoribus ac querelis omnia clamantes, satius illis fuisse consultum, si ampliora subsidia praestitissent celerius expediti, quam confecto fere senio Romae perfectis rebus nullo praestito subsidio ad patriam remeare. Quibus cum maxime consulere opportunaque adhibere remedia exoptarem, subiit in mentem tritum illud apud Theologos, posse Christi fideles susceptis spiritualibus ad largienda temporalia cogi. Exspoliavit enim Apostolus ecclesias plurimas accipiens stipendium ad ministerium Corinthiorum. Memorque praeterea levitici praecepti, quo compellebantur voventes certo quodam pretio redimere vota, et si paupertatis onere gravati fuissent, sacerdotum iudicio ac sententiae se subiiciebant, nil profecto facilius, tutius, consultius, denique mitius fore duxi, quam post gratuitam spiritualium concessionem retentis gratiarum litteris Christi fideles debita offerre stipendia etsi nolentes habere compulsos.

Haec praecepi Datario: Subscriptis a me gratiarum diplomatibus id perpetuo sit tibi menti, nullo prorsus accepto stipendio eas pauperibus elargiri; at si illis ea fuerint fortunae bona, quibus possint laboranti pastori stipendia ac patri subsidia exhibere, piis hortatibus pete decretam subsidii et stipendii taxam. Quod si audierint, bene cum illis tum et ecclesiae erit consultum, si vel dimidium ex eo fuerit diminutum; at si vel avaritia, ingratitudine vel ecclesiae contemptu impendere denegarint, abnega et tu collatae gratiae testimonium non veluti illius pretium accepturus, sed in non observatae iustitiae ac ingratitudinis mulctam. Iam pridem igitur, Paule optime, collatis spiritualibus terrenarum stipendia rerum Christi fideles ceu divino naturaeque iure debita Summo Pontifici tribuebant. Non igitur haec a me reperta quis putet, quae natura docuit, praecepit Deus ususque firmavit. Quae vero instituerim ego, rationi esse conformia, quis poterit sanae mentis denegare? Nonne iustum est, iustissime

---

[8] Forsan accusavere.

Paule, ut oculi, qui culpa clauduntur, aperiantur et poena? Nonne et aequum, ut ab ingratis collata beneficia auferantur? Nonne et sanctum, per immortalem Deum, ut qui patri pastorique suo debita subsidia ac stipendia largiri renuunt, iisdem,[9] quae non sunt illis a patre debita, iure optimo abnegare? Cumque nec gratiae nec gratiarum iudicia impiis iniustisque illis a Pontificibus debeantur, quid mirum igitur, si non collatae gratiae, quae iure negari possent, sed gratiarum litterae denegentur? Verum actus huiusmodi nullam redolere simoniacam pravitatem, ex ipsius simoniae definitione apertissime constat. Nulla est in Pontifice studiosa emendi vendendive voluntas spiritualem gratiam, quae nullo potest pretio compensari, nulla etiam in Datario vendendi gratiarum assertiones vel veritatem ipsam, sed eo res tendit, ut seclusis clamoribus, querelis, scandalis, denique litibus valeant Summi Pontifices iuribus uti pacifice suis. Dat enim piis et gratis filiis, abnegat impiis in sceleris commissi poenam, igitur nec simonia.

Huc accedit, licere Pontificibus eorumque ministris elargitis spiritualibus exigere temporalia non ceu spiritualium pretium, sed velut debita stipendia aut subsidia, ut peritiores Theologi sentiunt. Cum autem id operetur Datarius, idque efficiat tamen litterarum retentione, consentaneum est fateri, nullum in tali actu facinus simoniae videri. Inquiunt actum esse de sui natura deformem, inventumque fuisse modum ad spiritualium commutationem ac mercaturam atque propterea abolendum. Ego vero, piissime Paule, iustissime institutum ostendam. Tu vero attende, precor.

Dilaturus ego, sapientissime Paule, cum fundamenta tum secus sentientium rationes id primum notatu dignum occurrit, humani generis Redemptorem destinaturum discipulos ad hominum salutem divinique eloquii manifestationem eisdem talia demandasse: Euntes praedicate, appropinquabit regnum coelorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite, gratis accepistis, gratis date. Quod licet primo oculorum obitu doctissimis et praestantissimis viris compositiones simoniacas opinantibus facere videatur, si tamen profundum dominici sermonis sensum cum sanctis doctoribus excerpere desideramus, concesso Christianae militiae ducibus stipendio, tantum pretium prohibitum esse perspiciemus. Audi, obsecro, Hieronymum Domini sententiam exponentem. Ecce, ait, ego magister vester et dominus absque pretio vobis hoc dedi, ergo et vos gratis [sine] pretio date. Sequitur et eum Chrysostomus asserens, Redemptorem spiritualium mercaturam prohibuisse, cum inquit: Gratis date. Concors est et divus Gregorius, qui in eiusdem litterae expositione ait: Praesciebat enim Dominus, nonnullos donum accepti spiritus in usum negotiationis inflectere et miraculorum signa ad avaritiae obsequia declinare, propterea inquit: Gratis date. Sentit idem doctissimus Thomas .....[10] Pauli epistolam ad Corinthios, ait enim: Gratis date, gratis sine pretio, non gratis sine stipendio. Quod autem stipendium capere ac exigere liceat, declarat divus Gregorius in expositione dominicae sententiae divi Lucae: In quamcunque domum intraveritis. Inquit enim: Si pax nostra recipitur, dignum est, ut in eadem domo maneamus edentes et bibentes, quae apud illos sunt, ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus praemia patriae coelestis offerimus. Unde etiam Paulus haec ipsa pro minimo suscipiens dicit: Si nos vobis spiritualia seminamus, mirum est, si carnalia vestra metamus? Colligitur idem experientia duce, si gesta a divo Paulo recto iudicio perpendemus. Nam etsi gratis praedicaverit Evangelium, exspoliavit tamen ecclesias, accipiens stipendium in sanctorum ministerium. Patet denique idem ex contextu evangelico. Postquam etenim spiritualium mercaturam prohibuit Dominus, debitum iure divino stipendium declaravit inquiens: Dignus est operarius mercede sua. Quantum vero inter pretium et stipendium discrimen, licet non te lateat, Paule optime, non ab re tam

---

[9] Cod.: ut quae patri .... largiri renuuntur ab iisdem quae non ...

[10] Forsan exponens.

palam referre putavi. Est namque pretium venditionis finis, ut refert Aquinas Quol. 60 q^ne 2da [11], militantis stipendium. Potest esse sine labore pretium, sed néquit esse sine labore stipendium. Alterum mercaturam arguit, alterum industriam vel virtutem. Id est peculiare pretio, ut plus offerenti vendendum detur lubentius, quod est a stipendio alienum, non etenim fidelis Christicola esset a Turcarum tyranno vel maximum stipendium accepturus. Habet et pretium deformitatem quandam annexam, ut mercatura, quod ipsi stipendio minime congruere reperimus. Quamobrem nulli doctorum virorum admirationi futurum arbitror, cum dixerim, actum, quo et Pontifex et Datarius spiritualia subministrat, esse gratissime datum, licet debita temporalium rerum stipendia exigantur, at vero secundo actum aliquem spiritualem dici vel ex principio, ut consecratio ecclesiarum, missas celebrare aliaque huiusmodi ortum habentia ab aliquo spirituali in sacerdotibus exsistente, vel ratione finis, ut docere veritatem, quae licet sit spiritualis, poterit tamen a gentilibus nihil spirituale habentibus edoceri. Utrumque istorum bene et perperam posse exerceri non ambigit divus Aquinas Quol. ubi supra. Qui etenim largitur spiritualia, si intendit actum vendere, simoniam committit et mortaliter peccat, cum enim sit pretium in venditione finis, tunc temporalia essent velut finis primo intentus; verum si quis poneret huiusmodi actus finem primo intentum Deum Optimum Maximum, temporalem autem finem consecutivum vel media ad finem, nullum esset in casu pretium, nullum facinus nec simonia, quod clarius habetur ex divo Gregorio exponente illud Lucae: Dignus est operarius mercede sua. Ait enim: Quo iure considerandum est, quod uni nostro operi duae mercedes debentur, una in via, altera in patria, una, quae nos in labore subsistit, altera, quae nos in resurrectione remunerat; merces itaque, quae in praesenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisque praedicator non ideo praedicare debet, ut hoc tempore mercedem accipiat, sed ideo mercedem recipere, ut praedicare subsistat. Quisquis namque ideo praedicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem accipiat, aeterna procul dubio mercede se privat. Cum audis igitur, dare Pontificem spiritualia pro temporalibus, vel ut temporalia consequatur, si finem ea intendit ultimum, procul dubio simoniam committit, si vero intentus finis est Deus, ecclesiae instauratio, animarum salus, ea vero sint media ad consequendum finem, nullum est facinus, nulla est mercatura. Sic etenim et Apostoli pro temporalibus praedicabant. In actu vero spirituali ex fine, ut est veritatem docere, si quis intendit vendere finem ipsum, ut puta veritatem, non potest a simoniae scelere excusari; at si intenderet vel suas locare operas vel iure uti pacifice suo, vel collatis spiritualibus temporalia non ut pretium, sed ut stipendium exigere, nulli erit peccato obnoxius. Cum autem Datarii actus sint ex fine tantummodo spirituali, potest enim vir coniugatus actus huiusmodi exercere, si eos non intendat pretio dare, erit a pravitate simoniaca prorsus immunis. Addo postremo, ad commutationem plurima requiri debere: primo quidem pactum pretium, secundo valoris aequalitatem rei ad rem, tertio ut res, in quam fit commutatio, finis habeat rationem, demum, ut danti plurima detur facilius, non danti penitus denegetur, e quibus facile quis colligere potest, nullum esse [in] Datarii actibus commutationem. Non etenim pactum est ibi pretium, nec valoris attenditur aequalitas subscriptarum litterarum ad temporalia tanquam finis; dantur enim pauperibus plurimis nullo temporali prorsus recepto, negantur denique ditissimis multis iniusta petentibus, etiamsi ingentem pecuniarum copiam pro Pontificis subsidiis profundere vellent. Cum igitur gratis sint a Pontifice collatae gratiae nullaque sit ex Datarii parte commutatio, ruit armatus Achilles vel, ut rectius dicam, paralogismus sive fallacia non causae ut causae, putant enim dato spirituali temporalia capere integram commutationis exprimere causam, vel fallacia consequentis, arguunt enim ad propositionem habentem plures causas veritatis ab una illarum, quod

---

[11] Ita Cod.: nunc: Quol. 8, art. 11.

si haberet roboris firmitatem, procul dubio celebrans officium pro distributionibus quotidianis simoniam palam committeret. Dat enim ille spirituale non daturus aliter, nisi sciret se temporalia accepturum, ex alia vero parte non tribuerentur temporalia, ni peteret ecclesiam divinaque ibidem celebraret. Exemplum vero de adamante alterius uxorem, quatenus pulchra, non quatenus uxor, nihil ad rem; impossibile est enim, actum huiusmodi non esse ex sui natura deformem. Actus vero, qui ex Datario proficiscitur, est collatis gratiis spiritualibus temporalia deinde petere et exigere, id vero iuste recteque fieri posse, liquet ex divo Aquinate, inquit 2. 2. quaest. 100: Collatis spiritualibus gratiis licite possunt a potentibus et non volentibus dare exigi temporalia non tanquam spiritualium pretium, sed ceu debitum stipendium. Nec obstat adducta ratio de proportione stipendii debiti ad labores, cum enim aliquis pro aliqua universitate vigilat, laborat et operatur, dignum est, ut is maiorem stipendii partem operanti tribuat, cui labores impensi maius praestiterint iuvamentum; dignum est amplius, eum patri maius debere subsidium, qui ab eo maioris gratiae suscepit beneficium. Adde quod praeterea a difficiliora petentibus maius expostulatur subsidium, ne tam sit facilis aditus ad eorum dispensationem concessionemve, quae iustissime pariter ac sanctissimis legibus explosa fuere, quod vero a petentibus gratias et non ab aliis exposcatur subsidium, id non mercaturae, sed pietatis est opus. Nam etsi cuncti Christicolae ad pia teneantur praestanda subsidia, ab iis petenda institui, cum gravissime urgeretur ecclesia,[12] quibus maiora beneficia conferuntur. Dico ad tertium, et Pontificem et Datarium gratis dare, licet debita stipendia exigantur, ut ex praehabitis colligere quis facile potest. At si retentis diplomatibus eos cogere, quos voti faceret compotes, ad debita reddenda stipendia seu subsidia spiraret simoniacam pravitatem, nonne et bullarum retentio pro percipiendis annatarum fructibus eadem infamia laboraret? Quocirca ne dicam qui mihi successere Pontifices, de quibus, cum pauci sint, non fore quid curae autumant, verum et alii complures, quorum memoria nulla temporum delebitur edacitate, erunt hac improba eluvie defoedati; etenim iam diu litterae sigillatae[13] benigne dabantur decretis per provincias fructuum collectoribus, qui ingratos accepti muneris et reddere ecclesiae debita renuentes vel anathematis vinculo[14] vel iuris potestate compellerent. Cur postea Pontificum consilio, solertia, prudentia et gravitate putas fuisse sancitum, ne debita frugum abnegantibus portionem de cetero largirentur? Ni quia plurimi vel avaritia, ingratitudine vel impietate quadam devicti petentibus iura debita denegabant? Cumque vel iuris cogebantur auctoritate vel anathemate necabantur, tunc rixarum susurri, odiorum fontes, bellorum tumultus, ecclesiae damna innumeraque damnorum genera faventibus et illis principibus hinc inde scaturiebant. Quodsi subscripta gratiarum diplomata in futurum ultro dabuntur, deinde vero Christi fideles quibus consulunt mediis debita persolvere compellentur, nullis sane erit ignotum, eadem vel fortasse maiora, cum immitioribus mitigentur, incommoda, detrimenta, discrimina scandalaque denique suboritura.

Quae vero sunt Pontificem tangentia argumenta facillime diluuntur. Non posset enim Pontifex ex quacunque dispensatione gratiarumve concessione temporalium quicquam accipere, si sibi ex ecclesiarum proventibus statuta stipendia forent, ut et doctissimus docet Aquinas. Verum cum ea non modo illi non sint integra, sed vix minima portio fere, licebit igitur seminatis spiritualibus metere temporalia, cum nemo stipendiis militet suis, debeat et qui arat, in spe arare, et qui seminat, in spe fructus percipiendi, ut inquit Paulus ubi supra. Fateor deinde Pontificem certo actum committere simoniacum, si pro spirituali munus capiat. Habet enim munus et pretii ultro rationem. Verum si concessis gratiis spiritualibus temporalia capiat non ut pretium vel finem ultimum, sed ut media ad consequendum finem, qui Deus est Optimus, id iuste sibi licere, sicut et ceteris ministrantibus sacra,

---

[12] Cod.: in gravissimis urgeretur ecclesia. [13] Cod.: sigillo ultro. [14] Cod.: iugulo.

non ambigo. Non etenim propterea inservit Evangelio, ut temporalia condere, sed propterea exhibitis spiritualibus ea accipit, ut gregem suum pascere tuerique possit Deoque Optimo Maximo et commodius et sanctius famulari.

Per idem patet solutio ad rationem, quod, si quis daret spirituale debitori suo, ut, quod suum est, recuperaret, simoniam committeret. Si etenim id primo intendit, id luce meridiana est clarius, at si finis est Deus, pax ecclesiae animarumque salus, et consequenter, quae sua sunt, recuperare intendat, nullum committitur facinus. Idque Apostolorum exemplo manifestatur, qui licet Evangelio inservierint ac verbum Domini praedicaverint, gratis etiam pro temporalibus laborabant, non intendentes ea ut finem, sed ut media ad finem facilius consequendum. Possem, Paule prudentissime, ex divi Bonaventurae, Iohannis Scoti, Adriani VI. Pontificis Maximi aliorumque plurimorum virorum sublimium doctrina secus opinantium fundamenta facile paucisque evertere. Qui etenim, etsi spiritualium horrent mercaturam, labores vero, quibus sanctissima ministrantur, emi vendive posse rationi divinaeque legi consonum arbitrantur. Cum etenim dederit Dominus filiis suis Levi decimas Israel ut pretium ministerii, quo inserviebant in tabernaculo foederis, pretium vero negotiationem arguat, cumque spiritualia vendi nequeant, reliquum est labores, quibus administrantur, posse vendi licere. Ne tamen eos ceu suspectos iudices testesve reiiciant. Sunt enim duo ex Francisci familia, alter vero compositiones huiusmodi exercuit ac approbavit divi Thomae, quem ipsi non ab re ad sidera tollunt, secutus dogmata, eorum . . . . rationes.

Liquet igitur ex dictis, nullum me facinus instituisse, non simoniam, scelus denique in hac re nullum, sed et petentium saluti, ecclesiae indemnitati expeditionumque et facilitati et celeritati pio consuluisse affectu. Quam ob rem ea non te moveant, quaeso, quibus suadere nituntur commoda, utilia, denique decora et tibi ecclesiaeque futura innumera, si eorum faveris opinioni meque cum plurimis simoniaca labe deformem pronuntiaveris; agnosces etenim facile, id vel in gloriam vel in perenne dedecus esse cessurum, si his, quae dixerim, aures praebebis. Attentius audi, obsecro.

Inquiunt praeclarissimi viri, [15] nullo te posse telo certius et securius Lutheranos schismaticosque conficere, non maiore splendore Romanam illustrare ecclesiam, nec via faciliori Christianam restaurare rempublicam, nec denique clariori exemplo Christicolas ad virtutum studia, ad Christi obsequium, ad huius sanctae sedis benevolentiam ac pietatem oppido concitare, quam si compositiones huiusmodi ceu nefarias, rationi divinaeque legi contrarias obliteraris. Cum etenim universa Christi familia speret longe a te maiora, quam a nascentis ecclesiae principio a quovis sanctissimo doctissimoque Pontifice exspectaverit, audita tam praeclari facinoris fama, te veluti solem demissum coelitus admirabitur, venerabitur ac complectetur. Sed proh immortalem Deum, quid posset haereticis evenire felicius, quid unquam illis fuit optatius? Dicerent enim, iamiam diu clamavimus, quousque clausas obturatasque serpentium aures agrum dominicum demolientium percussit veritas ac penetravit? Audite intelligiteque, Christicolae, nonne veritatem scripsimus et praedicavimus, cum impiam Romanae ecclesiae tyrannidem et Babylonicam captivitatem vestris inculcavimus auribus oculisque legenda obiecimus? Nonne propterea fuimus morte [16] mulctati, aerumnas, calamitates persecutionesque patimur perpessique fuimus? Felices nos igitur, qui persecutionem propter iustitiam passi digni sumus coelorum sedibus, ipsi enim aeternis incendiis involventur. Negabunt forsan amplius, crudelem demortuos, immo et praesentes Pontifices exercuisse tyrannidem, qui sub pietatis specie tamdiu simoniae facinus concesserunt, Christi fideles depauperarunt, ad pompam gulae ventrisque oblectamenta, ad explendum exitialis libidinis incendium, ad ditandos consaguineos? Iam ipsa clarissima veritatis tuba quod multo emicuit tempore cognoscentes

---

[15] Cfr. Regesten etc. pag. 287. [16] Cod.: autem.

se simoniacos prodiderunt proprioque mucrone necarunt; iam poterunt validissimam nostram contra eos rationem facillime solvere, cum etenim sic argumentamur: A principio fere nascentis ecclesiae Christianae usque ad Lutheri tempora ea fuere servata, quae nunc a catholicis observantur. At Lutheranus opposita docet. Igitur vel est opinio Lutheri vel nostra vera, si nostra est, pellendus est, discruciandus comburendusque Lutherus, qui veritatem fidei detestatur moliturque praecipitare ad tartara tot Christiano nomine insignitos. Si vero sua, necesse est Christi ecclesiam tot temporum curriculis fuisse ignorantiae tenebris obcaecatam, ac omnes, qui antea decessere, perpetuis discruciari ignibus, neque Christum ecclesiam suam tamquam sponsam dilexisse, ut eam sibi exhiberet coniugem non habentem maculam neque rugam, neque misisse paracletum suum, quem se daturum promiserat docturumque omnem veritatem. Dabunt in promptu responsum: Quid mirum, si usque ad Lutheri tempora latuerit veritas atque non servanda servaveritis, si vos ipsi fatemini, diu a vobis non agnitam veritatem saevumque [vos] simoniae scelus nullaque habita ratione perpetrasse? Cumque et illis Romanam ecclesiam errare non posse obiiciemus eiusque decreta veluti a Spiritu Sancto illam regente edita firmataque suscipienda proponemus, respondebunt extemplo: Quid mirum, si ea erraverit fueritque Deo odiosa, quae Spiritum Sanctum tanquam servum diu vendidit ac pertractavit, quid mirum denique, si a malo fuerit daemone gubernata, quae diu a Pontificibus simoniacis, immo et haereticis tanto fuit temporum spatio moderata? Cum enim dictum sit Simoni Mago: Pecunia tua sit tecum in perditionem, eadem feriuntur sententia, quot fuerunt, quot erunt simoniae facinus committentes. Nam ex certa malitia oberrarunt et ita praecipites inferos petiere, vel ex ignorantia, quod, cum nequeant ea Pontificem excusare, tum esset perpetuum Apostolicae Sedis dedecus, si super se huiusmodi Pontificem suscepisset. E contra vero Christi fideles scandalo funestissimo ferientur. Dicent forsan: Heu miseri, tamdiu habuimus pro pastoribus lupos, pro principibus tyrannos, qui ad implendas insatiabiles avaritiae fauces dederunt pretio, quod nullo pretio potest compensari. Quid mirum igitur, si proclamarunt Lutherani, si defecerunt ab obedientia Angli, quibus eo debetur magis, quo veritatis semitas invenerunt saevasque Pontificum extorsiones exspoliationesque retexere. Non igitur contemnendi sunt amplius, sed eo audiendi sunt lubentius, quo nobis viam veritatis clarissime commonstrarunt. Verum quod decus, quam denique gloriam sit tibi, si illis faveris, allaturum, perspicies facile, si tibi quae sunt a natura Deoque tributa in altero metieris: virum scilicet illustrissimis ortum natalibus, prudentia, ingenio, consilio iudicioque, admirabili omnigena doctrina refertum, qui Cardinalem annos egerit duos et quadraginta, Pontificatum plurimos, maluisse horrendo simoniae facinori esse obnoxium, quam pestiferam avaritiae luem funditus exstirpare. Atqui si hac excusaberis via, quod te ceterisque Pontificibus parum advertentibus fuerit huiusmodi scelus admissum, nulla per Deum immortalem irrefragabilis excusatio. Mox audies: Sero sapiunt fruges, prope est igitur tempus quo discere sapereque incipias, Paule, quod si malitia feceris, quis te ab haeretica liberaverit pravitate? Quis te impio Macedonio deteriorem non fuisse defendet? Ille enim Spiritum Sanctum Patris ac Filii servum dogmatizavit, tu vero eundem veluti famulum palam vendidisti tamdiu. O igitur ingentem gloriam et nullo tempore perituram, cum haec tuis annalibus inserentur: Sanctus Paulus III, vir nobilissimus, omnium virtutum genere undequaque decorus, cunctarum rerum experientia, lectione, mente denique sanctissima clarus, peractis annis duobus et quadraginta in cardinalatu, unanimi omnium Cardinalium, Italorum, Gallorum, Hispanorum Germanorumque consensu ad Pontificatum electus, ingenti insuper Christicolarum applausu susceptus annis tribus integris simoniae facinus palam commisit. Verum a viris doctissimis sanctissimisque praeadmonitus, poenitentia ductus compositiones ceu simoniacas est execratus, ductus avaritia tamen, quae tali subripuit via, restituere non curavit. Id erit praeterea perenne Romanae ecclesiae decus, tot [annos] secundum temporum memoriam fuisse a simoniacis ac

haereticis moderatam; his telis schismatici atque haeretici confodientur, cum omnium admiratione dicetur: Leonis decimi tempestate apparuit vir quidam Lutherus, haereticae pravitatis auctor, cuius scripta ac opera adeo valuerunt, ut veritate agnita Romani se schismaticos tamdiu palam fuisse prodiderint. His exemplis qui in Christiana republica supersunt catholici ad huius Sanctae Sedis reverentiam, honorem ac obsequium succedent, hac praeterea via Apostolicae Sedis auctoritatem dignitatemve stabilius affirmabis, hac sententia denique gratias innumeras tot meis ceterorumque Pontificum laboribus dignas persolves. Heu proh dolor! nonne mitius actum fuit cum synagoga, cuius praecepta, etsi mortuo Redemptore sepulta, promulgato vero Evangelio mortifera fuerint, non fuere tamen repente deleta, ne cum dedecore a Christianis discipulis sepelirentur, quod Pauli claret exemplo, qui licet scripserit Galatis: Si circumcidimini, nil vobis proderit Christus, se tamen purificavit in templo circumciditque Timotheum. Itaque si eorum favebis partibus, sic Lutheranos schismaticosque conficies, sic Romanam illustrabis ecclesiam ac Sedem Apostolicam exaltabis. Hic ergo nobis erit pietatis honos, hoc erit amplissimum paterni nominis patrimonium successoribus nostris praedecessores habuisse haereticis deteriores. At inquis forsan, qui mihi suadent talia, viri sunt prudentissimi, probatissimi meique et Apostolicae Sedis amantissimi. Fateor omnia, quid tu? Num propterea Romanam ecclesiam, nos teque tanta foedaveris nota? Abstine igitur, Paule optime. Nam si unquam causa maxima prudentissimo tuo fuit decidenda iudicio, hanc tantam esse existimo, ut ex ea Christianae religionis honos, Pontificis fama, Sedis Apostolicae dignitas, haereticorum schismaticorumque vel gloria vel dedecus certissime pendeat. Sic enim Romanae ecclesiae tyrannidem ac Babylonicam captivitatem, quam illi prudentissimi impudentissimique homines vel sacrarum litterarum auctoritate probare non valuerunt, tua ipse sententia confirmabis. Actum est de Apostolicae Sedis dignitate deque Romanae ecclesiae summorumque Pontificum auctoritate. Quodsi te nulla schismaticorum haereticorumve gloria nec nostri Apostolicaeque Sedis pietas commovet, ut te certe scio moveri, tibi sis pius, tui non immemor, ne te nobiscum una condemnes. Nam si sublimium auctoritate virorum commotus me damnaveris, Paule, nonne et te aliosque complures, qui Romanam ecclesiam iuverint, auxerint ac illustraverint, consimili mucrone necabis? Quandoque si in mea institutione est, longe profecto magis esse in his perspectissimum erit, qui illam et diu servaverunt et diuturna consuetudine comprobarunt. Perpende, quaeso, sublimi tui ingenii iudicio praesentium hominum mores et usus, temporum malitiam, haereticorum saevitiam, schismaticorum immanitatem, Principum discordiam decretumque a te concilium, quaeve possent ex his facile exoriri. Sunt siquidem concilia vastissimis maribus perquam similia, timendi sunt scopuli, ventorum afflatus, procellae, piratae, Syrtes, Scyllae, Sirenae, Charybdes aliaque quam plurima. Nec velim existimes ea me dixisse praeterea, ut tibi iniiciam alimenta timoris. Novi enim animi tui magnitudinem, fortitudinem atque constantiam, scio candorem ac pietatem, sed ne tantum viventibus tribuas, ut nos, qui iam naturae concessimus, oblivione vel infamia perdas. Quodsi compositionum amotionem ecclesiae instaurationi, Christi fidelium saluti, haereticorum schismaticorumque interitioni futuram perspexeris: ad hoc ego te non modo veluti ad summae laudis studia hortor, sed per immortalem obtestor Deum, velis eas, Apostolicae tamen Sedis, nostri tuique honore, dignitate ac auctoritate servatis, quam citissime summovere. Tantum etenim et tibi ceterisque Pontificibus gloriae, Lutheranis et schismaticis ignominiae afferet, si manifestata compositionum iustitia ac aequitate nullo prorsus stipendio vel subsidio accepto spirituales gratias largieris, quantum dedecoris et infamiae, si ab illis ceu naturae divinaeque legi contrariis desistes in posterum. Nam sicut est speciosum ob aliorum salutem suique animi magnitudinem ea, quae vel maxime licent, cum non expediant, non operari, sic et longe deforme ea, quae sunt naturae divinaeque legi contraria, se fecisse fateri, ac illa non suo impulsu, sed aliorum consilio, hortatu, vel ipsa cogente necessitate depellere ac detestari. At si

compositionum inspecta licentia ac aequitate aliisve prudentissimis, ut adsoles, causis adductus eas abolendas non esse decernas, ne cuncteris, obsecro, funestissimos ammovere abusus, qui ita inexplebili hominum avaritia irrepsere, ut hanc Sanctissimam Sedem cuncto fere terrarum orbi ingratam, molestam, contemptibilem reddiderint, quin et vehementissime odiosam. Non enim sanctissimis conciliorum summorumque Pontificum institutis nisi ex urgentissimis pariterque ex iustissimis causis derogabatur. At proh dolor, id est introductum eorum cupiditate, ut, quae nec ipsis Pontificibus liceant, nulla habita personarum temporumque ratione, creberrime admittantur atque, ut cetera taceam, illud unum adducam religiosorum exemplum, qui licet sacris initiati perenni obedientiae voto se mancipaverint, quin et quidam religionis suae coenobia annos plurimos moderarint, tum vel perpetrati sceleris poena perterriti, vel terrenarum rerum desiderio inflammati, vel petulantiae, voluptatum oblectationibus incensi, vel inconstantia ac levitate aut obedientiae fuga adducti, vel tantilla in superiores indignatione aut sceleratorum hominum hortatu compulsi Deum, religionem, vestes ac omnem denique bene beateque vivendi modum formamque perfrictis frontibus deserentes ex claustris catervatim egrediuntur cum incredibili Christi fidelium scandalo tantaque religionum et infamia et iactura, quanta nulla unquam hominum memoria fuit auditum. Namque id nostro vix aevo pro unius regni salute recuperationeque nunc passim palam duorum aureorum allectis aucupio ultro consulitur, offertur et datur, quorum plerique, ut sunt omnium scelerum libidinumque maculis foetidissimi, consimilia sibi exercitia struunt, fiunt aucupes, piscatores, venatores, caupones, vernae lusores, alchimistae, parasitae, lenones, itinerum latrones, quodque est dictu horribile, qui Deo viventi in aris sanctissimis iam diu corpus dominicum obtulerunt, centurionum apparitores, ne dicam carnifices.

Hoc itaque, sanctissime Paule, ac aliis compluribus seclusis abusibus, quos, ne longa dicendi serie molesteris, obticeo, quas institui compositiones, ut sunt iustissimae, sic erunt universae Christianae reipublicae iucundissimae. Verum enimvero si stat, Paule, sententia haeretque fixum animo, me atque hunc praesertim, qui mecum est Adrianus, vir doctrina vitaeque sanctitate illustris, damnare, nil nobis, scito, officies, sumus enim Sanctorum cives et domestici Dei, ad quem iamiam redituri ceu ad iudicem aequissimum in beatorum concilio coetuque apellabimus. Tu vere interim te ipsum audi, te adhibe in consilio, confide, ut facis, in Domino, non erubesces, perge coeptis, perficies certe, quae cupis, duce Christo Optimo Maximo, quem tui et comitem et ducem fuisse hactenus foreque, quoad vixeris, ex arcanis accepi. Plura praedicerem, sed tempus abnegat, vocor ad superos, igitur nostri tuique memor diu vive et vale!

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Introductionem generalem in V. et N. T. libros exhibebit bis per hebd. hora II.
II. Evangelium sec. Marcum interpretabitur quater per hebd. hora VIII.
III. Grammaticam Arabicam offert horis deff.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit sexies per hebd. hora VIII.
II. De arte catechetica disseret die Lunae et Iovis hora VII.
III. S. Thomae Aquinatis selecta capita interpretabitur horis deff.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam primaevae ecclesiae tradet quater per hebd. hora IX.
II. Historiam ecclesiasticam novissimi temporis enarrabit semel per hebd. hora def.
III. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. hora def.
IV. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. De gratia et iustificatione tractabit, doctrinam de sacramentis exponet, res novissimas edisseret quinquies vel sexies per hebd. hora X.
II. Selecta prophetae Iesaiae capita interpretari perget bis terve per hebd. hora VII.
III. Scholas grammaticas de lingua Hebraica continuabit una cum exercitiis interpretatoriis ter per hebd. hora VII.

Dr. Iulius Marquardt, P. P. O.

I. De principiis et fundamentis ethicae christianae disseret quinquies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis theologiae moralis capitibus habebit semel per hebd. hora XI.
III. Historiam litterariam ecclesiae primaevae docebit horis deff.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., hoc anno Decanus.

I. Inscriptiones christianas et antiquitates quas vocant tradet ter hebdomade hora IX.
II. Historiam artis antiquae imprimis sacrae enarrabit bis hebdomade hora IX.
III. Exercitationes latine scribendi et loquendi moderabitur h. def.

Dr. Ios. Bender, P. P. O.

I. Historiam generis humani primaevam resque populorum orientalium enarrabit ter vel quater per hebd. hora XI.
II. Primordia et fata linguae theodiscae exponet semel vel bis per hebd. hora XI.
III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. h. XI.
IV. Repetitorium historicum cum exercitationibus criticis instituet hor. def.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

I. Botanicen docebit bis terve per hebdomadem h. VIII.
II. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu ter hebdomade disseret h. VIII.
III. Calculum differentialem et integralem explicabit h. def.
IV. Selecta optices capita tradet h. def.

Dr. Ios. Krause.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdomadem.
II. Logicam et noëticam docebit ter per hebdom.
III. Psychologiam exponet bis per hebdom.
IV. Historiam philosophiae medii aevi enarrabit semel per hebdom.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat Prof. Dr. Killing.

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Ordo Theologorum pro certamine litterario in annum subsequentem hasce proponit quaestiones:

I. Ex instituto Regio: Data genuina iustitiae definitione eius species enumerentur, explicentur et quatenus ad Deum transferri possint, ostendatur; dein quomodo divina iustitia cum ceteris Dei attributis ac praeprimis cum satisfactione Christi vicaria conveniat, discutiatur.

II. Ex instituto Scheill-Busseano: Quae differentia in primaeva ecclesia episcopos inter et presbyteros fuerit, exponatur.

Ordo Philosophorum commilitones de praemio Regio certaturos quaerere iubet, quid Dante Alighieri in comoedia divina de rerum natura sentiat.

Certantium commentationes latine conscriptae et more consueto signatae ante diem XV. Ianuarii a. 1884 Rectori Lycei exhibendae sunt. Victoribus praemia constituta: ex instituto Regio LXXV, ex instituto Scheill-Busseano C marcarum.